



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Quisnam eam contrahit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Secundo, notitiam debere esse certam, si non metaphysicè, sane moraliter, secus te injustè gereres, si quæpiam, ut infamem repellas, solum ex levi suspicione inter homines leves exorta.

6. Si tamen opinio de tuo peccato sit vulgata apud viros probos, & prudentes, quamvis non adit certitudo, multo magis, si orta sit hæc opinio non ex vanis, sed ex probabilibus conjecturis, eris ab Ordinibus, ac Beneficiis Ecclesiasticis, repellendus, interim, dum non purgas, juxta C. Quoties, & C. Inter: de Purgat. canonica. Neque enim deest in Clericum coaptari eum cujus opinio gravata est. Ita Castropal. de cons. d. 6 p. 20. n. 7. quod late etiam habes apud Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28.

7. Ex hac doctrina resolvitur nudius tertius, Clericum accusatum apud Episcopum sui Domicilii de commercio cum femina, & ab eodem citatum ad comparandum nequaquam ordinari potuisse ab Episcopo sui Beneficii, ut Clericus intendebat. Ratio resolutionis fuit prædicta doctrina, quia non præsumitur Episcopus ille voluisse Clericum citare ad comparandum, nisi motus ex probabilibus rationibus, seu conjecturis. Fatebar interim meram accusationem non satis esse ad hominem reddendum infamem, quia accusatio non raro fit ab inimicis, & non raro item sine sufficientibus probationibus, sed in casu nostro aderat citatio Episcopi, qui, ut dicebam, non præsumitur Clericum voluisse citare sine aliqua tandem probabilitate delicti. Addidi, saltem ante ordinationem oportere, eum se pargare, juxta prædicta, ab opinione, quæ jam erat inter prudentes de commisso crimine. Nam propterea communiter teste Nald. V. Accusare, num. 4. Barb. de pot. Et. al. 43. Garcia de Benef. p. 7. c. 7. n. 6. Favet, Gibal. de Irreg. c. 5. d. 4. n. 27. docetur, accusatum, pendente accusatione, admitti ad Ordines non posse.

§. IV. Effectus Infamie.

1. Infamia, sive Juris, sive facti in Jure Canonico (nam de Civili nos non agimus) hos duos effectus progitur. Primò, ut infamis ordinari nequeat: id, quod sæpe diximus in Superioribus. Secundo, ut illi Dignitates non conferantur juxta Regulam illam Juris Infamis portæ non pateant dignitatum. Nomine autem dignitatis hic non intelliguntur solum Personatus, sed quæcunque Ecclesiastica Beneficia, & Officia publica, puta Judicis, Assessoris, Advocati, &c.

2. An verò, si quis confertur Ordinibus Infami, valet collatio, ita valeat collatio Beneficii, vel Dignitatis, licet in utraque collatione certo peccetur, bipartita est Doctorum Opinio. Molin. tr. 4. d. 11. n. 3. alique apud Castropal. mox citandum cum communi ait, esse invalidam Castropal. de cons. d. 6. q. 20. n. 11. cum Garz. putat, in foro externo invalidam quidem esse, sed esse probabile, in foro conscientie esse validam, ac propterea ejusmodi provisum posse dignitate, seu officio frui, donec à Iudice collatio rescindatur. Ratio hujus probabilitatis est, quia nullus asseri potest Textus collationem hanc invalidans, nam quando dicitur (Infamis portæ non pateant dignitatum) satis commodus sensus esse potest, quod non pateant licite, annullatio autem actus, cum sit odiosa sine claro Textu inducenda non est. Adde, tanquam Regulam peculiarem haberi in Tractatu de Irregularitate, quando Textus potest explicari, ut significet aliquid aliud, non esse intelligendum, ut indicativum Irregularitatis.

3. Hæc de Infamia contracta ante susceptas Dignitates. Sed quid, si superveniat.

Respondet, si superveniat Infamia facti, certum est, eam non privare ipso jure possidentem suas Dignitates, vel Officia, ut est communior opinio, quia in nullo Textu habetur ejusmodi privatio. Si vero superveniat infamia Juris, licet statim illorum privationem indicet; tamen hujusmodi infamis abdicare à se illa officia nequaquam

obligatur, modo quo docet cum multis Castropal. & nos diximus §. 2. n. 5.

§. V. Quis dispense in Irregularitate contracta ex Infamia.

1. Si à te incurta fuit infamia Juris, ex eo nimirum, quod subivisti sententiam, quæ condemnavit ad infamiam, vel, quæ declaravit, te commississe delictum trahens infamiam juxta paulo ante dicta, opus est tibi, etiam emendato, dispensatione Summi Pontificis ad Ordines suscipiendos, vel Ordines susceptos exercendos. Nam, si non præcessit ejusmodi sententia, te posse gerere, ut non Irregularem, atque adeo te non indigere dispensatione, si res sit occulta, diximus §. 2. num. 5.

2. Si tamen crimina infamiam hanc trahentia sunt adulterio minora, Irregularitatem ex ea contractam posse post peractam poenitentiam dispensari ab Episcopo docet Castropalaus l. cum Sane. Henric. Avil. Mol. & aliis, addens, quando infamia inducta est à jure Civili, eam posse aboleri à Principe seculari qua abolita, cessabit Irregularitas, quæ in ea infamia innitebatur.

3. Si autem infamia facti laboras, illam tu ipse restesuar. Henr. Mol. cum Castropal. cit. tolles per emendationem delicti, utique notoriam, & quæ saltem per triennium duraverit. Gibal. de Irreg. cap. 6. qu. 1. num. 5. non præscribit tempus, sed solum petit emendationem cognitam.

4. Hinc ergo, qui non fuit condemnatus per sententiam inponentem, vel declarantem infamiam (tunc enim non sufficit emendatio, sed requiritur dispensatio, ut dictum est) licet notorius fuerit Sodomitæ, Concupinariis Virarius, &c. Si, modo dicto, emendatus est, poterit promoveri. Lege Gibalinum loc. cit.

An hæc Irregularitas ex infamia tollatur per Baptismum, quando hic suscipitur post ipsam contractam, dicemus infra c. 22. §. 1. n. 2. infra videatur Sanch. d. 48. de Cons. scilicet. 2. n. 11.

CAPVT XI.

De Irregularitate ex Novitate Fidei.

§. I. Quisnam eam contrahat?

1. Novi in Fide, quos Græca voce Neophytos appellamus, in C. Sicur. d. 48. sunt, qui cum Iudeorum, Saracenorum, vel Ethnicorum Religionem proficiunt, de novo ad veram Christi Domini Fidem accesserunt.

2. ergo Hos irregulares voluit Ecclesia. C. 1. dist. 48. C. 1. & 2. dist. 55. C. Si aliquando, &c. Si offic. dist. 59. Primò, ne (ut ait S. Paulus 2. ad Tim. 3.) in superbiam elati in judicium incidant Diabolici, eo scilicet, quod sibi plaudere plus iusto possint, putantes Ecclesiam ipsorum Ministerio indigere. Secundo, quia, ad docendum alios, est ineptus ille, qui bene edoctus non est. Tertio, quia bonis moribus debet prius assuescere, qui ad tantam Ordinum puritatem, dignitatemque est promovendus.

2. Porro ex descriptione allata Neophyti tria sunt colligenda. Primò, qui Sacro Baptismi fonte est apte usum rationis ablatus, quamvis filius sit patris infidelis, non est reputandus Neophytus, atque adeo, nec Irregularis. Ita Covarr. in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. 7. & 8. Avil. de Censur. p. 7. d. 4. Sayr. de Censur. lib. 6. cap. 11. n. 11. Bonacin. de Censur. d. 7. quæst. 2. pun. 1. num. 5. Ricciullus de Neoph. cap. 1. num. 3. Lez. alios citans consulto 16. numer. 31. quia eam aliam religionem professus non

K x 4 est

est. Ita passim Doctores. Multo ergo minus irregularis erit filius Christiani novi; Solum enim filium Hæretici ob peculiarem Canonum constitutionem irregularem esse, dicimus infra, quia tunc Ecclesia vult punire delictum patris in filio.

4. Secundò, qui à Christianis natus diu vixit inter Infideles, & Infidelium sectam non est professus, si deinde ad suos reversus rite Baptismum suscepit, non est Neophytus, nec Irregularis. Ita Doctores iidem in d.c. *scilicet d. 48.* quia de ratione Neophyti est, ut falsam Religionem ante Baptismum fuerit amplexus.

5. Tertiò si idem à Christianis natus potuit baptizari, sed noluit, quamvis deinde, urgente periculo mortis, Baptismum suscepit, Neophytus est, & irregularis, C. *Siquis dist. 57.* & Reg. Vgol. l. de Irreg. cap. 2. §. 3. num. 1. & Gibal. de Irreg. cap. 4. §. 4. n. 16. quia susceptio Baptismi, quando urget necessitas, non vacat suspitione infirmæ fidei. Sed notandum, quod additur in c. *Siquis d. 57.* Nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum varietas exegerit. His explicatis superius quaestiuicula tres.

Quodnam tempus purgat hanc fidei novitatem?

6. Quaestiuicula prima. Quandiu est expectandum, ut adultus noviter baptizatus judicetur purgasse novitatem, atque adeo amplius Irregularem non esse?

Respondeo, satis esse annum, putat Ricciull. d. *Neophytis cap. 10.* quia Miles, & Servus post annum cum veteranis adscribitur. Duos requirit Romanus, *sing. 42. 1.* & Campanini in *Diversis Jurium Civ. Rubr. 1. 1. cap. 7. num. 5.* quia circa duos annos potest quis doctrina, & Christianis moribus sufficienter instrui. Navarr. in *manuscr. cap. 27. num. 205.* Majol. de Irreg. lib. 1. cap. 3. 1. num. 1. Fill. tract. 19. cap. 7. num. 84. Gaf. Hurt. de Irregul. d. 2. d. ff. 9. num. 1. Bonac. loc. cit. & alii decennium requirunt, fortasse propter illud S. Hieronymi (debes multo tempore addicere, quod docas) multum autem tempus decennio mensuratur in Iuv. L. *Si cum §. Arisco ff. Qui & à quibus.*

7. Vera sententia est, id arbitrio Episcopi esse relinquendum. Ratio est, quia in Iure tempus certum non designatur, sed potius sic loquitur Pontifex. C. *Neoph. dist. 61.*

Neophytus ne ordinetur. At, si non deest humilitas competens Sacerdotio, ubi causa non haeret, vitium non imputatur.

Episcopus ergo nunquam statim à Baptismo Neophytum ordinet, quia tunc certo est irregularis, quia posito, quod quis prudenter iudicetur Neophytus, irregularitate laborat à solo Summo Pontifice, ut mox dicemus, dispensanda. Episcopo autem solum competit declarare, an hic sit Neophytus, necne. Verum, si post aliquod tempus iudicet Episcopus, Neophytum ea præstare fide, humilitate, doctrina, ut merito sit cum cæteris Veteranis adnumerandus, adnumeret, & jam tanquam Veteranum promoveat. Ita Covarr. loc. cit. Suar. de Cens. d. 43. scilicet 3. n. 6. & 7. Bonac. Filliuc. l. c. n. 240. Diana p. 4. tr. 2. ref. 50. Avila de Cens. l. c.

An Neophytus etiam à Minoribus, & prima Tonsura sit rejiciendus?

8. Non esse ab his rejiciendum, putant aliqui cum Bonacina. loc. cit. num. 5. At rejiciendum, putat Filliuc. loc. cit. num. 184. Suar. de Cens. loc. cit. numer. 5. Avila loc. cit. concl. 1. Vgol. de Irregul. cap. 2. §. 2. n. 2. alique. Ratio utriusque sententiæ est, quia priores non putant esse indecentiam, Neophytum his Minoribus iniciari, putant posteriores. Sed tandem utramque sententiam esse probabilem, pronuntiat Gibal. de Irregul. cap. 3. quaest. 3. numero 12.

9. Illud certe nemo negabit, quia ad primam Ton-

suram, Minorisque Ordines minor aptitudo requiritur, quam ad Majores, facilius polle Episcopus, declarare, hunc ad illos idoneum esse, quam ad hos, qui posita declaratione, jam irregularis quod Minoribus erit.

Trabentes originem à Iudæis, Saracenis, Infidelibus, & aliqua macula Irregularitatis Canonica inficiantur?

10. Nulla prorsus, ut luculenter, & multis citatis, late probat Lezana, *consulto 16.* Nam licet in aliquibus Ecclesiis repellantur ex peculiari Summi Pontificis placito à Beneficiis, & in aliquibus Religionibus repellantur à Religione; tamen particularis hæc constitutio non officium prædictis, ut voluit Sayr, de Cens. lib. 4. cap. 13. num. 12. Felin. in c. *Eate, de Refect. Covarr. loc. cit. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28.* Suar. de Cens. d. 43. §. 1. num. 8. ne possint Ordines suscipere, quia quod Ordines nullam jus est contra illos. Eas autem particularis constitutiones esse legitimas, latissime probat Eloshe à Corro T. 1. in *Analog. contra Amayon.* in evidentiissima disputatione de hoc argumento, De natis ab Hæretico jam supra indicavi me paulo post esse dicturum, cum de irregularitate ex Hæresi.

§. II. Quis dispense in prædictis Neophytis?

1. Solus Pontifex. Quia ratione autem Episcopi possit indirectè dispensare, id est declarare, hoc indicatum est in præcedentibus.

CAPVT XII.

De Irregularitate ex defectu Scientiæ?

§. I. Quis eam contrahat?

1. Illiteratorum quatuor gradus facio. Primum, qui quis tantum scit legere, & scribere lingua materna, nam, qui infra id, nimis est manifestum, quantum de illiteratum.

2. Secundum, qui non solum materna, seu vulgari lingua, verum etiam Latina legere didicit, & scribere, at ad ea, quæ Latine scribit, legitive, intelligenda non pertingit.

3. Tertium, qui legit, scribit, intelligitque Latina, sed nec perfectè eadem intelligit, nec perfectè loquitur, intelligit tamen substantiam ejusmodi notationis.

4. Quartum, qui hæc omnia perfectè intelligit, loquiturque, sed ad Doctoratum, sive Canonatum, sive alterius facultatis, nec pervenit, nec ad illum propter ingenii hebetudinem, vel propter aliud, aliquando potest.

5. His quatuor gradibus distinctis tutam dabimus Deo favente, de Illiteratorum irregularitate doctrinam. Nam, quia Gibalini cap. 3. §. 3. à num. 5. hos quatuor duos tantum gradus contrahit, minus rectè, quia hebetudine nimis, de hac irregularitate locutus est.

6. Porro illiteratus primo gradu, C. non censetur illiteratus. C. *Illiterat. dist. 36.* C. *ubi de Temp. Ord. in 6. Gloff.* multo magis infra ipsum C. *Quemad. de Iure Jur. Nav. c. si quando excepti. 13. de ref. Menoc. de Arbit. l. 1. casu 425. n. 10.* Vgol. de Irregul. cap. 3. §. 2. n. 1. Barb. de Pot. alleg. 26. n. 9. alios cit. est omnino Irregularis, durante eo ejusmodi imperitia: & merito, quia is non potest ea præstare, quæ pertinent ad ministeria Ordinis, quæ Latina passim scripta leguntur. Vnde, tum, qui sic ordinatur, tum qui sic ordinatur peccat graviter, & illegitime, ipse sic ordinatus, illicite Ordines exercebit.

7. Excepe primam Tonsuram cum Rebutto de potest.